



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De crucifixo ecclesiae sancti Georgij in Colonia, qui campanarium trusit,  
cap. 25.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

*Pingere  
sacras i-  
magines  
ex deuo-  
tione, me-  
rit orsum  
esse.*

**M**onachus quidam nigri ordinis de episcopatu Moguntinensi ante annos paucos defunctus est, erat autem pictor bonus, & ordini nostro tam deuotus, vt gratis, expensis tantum receptis, in diuersis domibus, ad diuersa altaria, miri decoris crucifixos depingeret: nam nostros crucifixos ipse penè omnes fecit, nullas à nobis requires expensas. Volens suo effigiatori ostendere summus ille crucifixus, ad cuius imaginem omnes facti sumus, quantum sibi labor ille sanctissimus placeret, in parasceue, die scilicet in qua passio specialiter representatur, illum, non sine multorum admiratione, de hoc mundo assumere dignatus est: quasi diceret Dominus: Quia circa meam passionem mente & corpore deuotè semper laborasti, de illa cogitando, illamque per picturas aliis exhibendo, ecce in die meae passionis te de labore ad requiem assumo, in qua non iam mentaliter, vel per picturas figuraliter, sed presentialiter, id est facie ad faciem, me contempleris. Hæc dicta sunt de eo, quòd Dominus eos, qui imagines suae passionis honorat, rehonoret & remuneret, nunc tibi ostendam quòd negligentes, illarumque contemptores, puniat & confundat.

CAPVT XXV.

*Contem-  
nentes sa-  
cras  
Christi  
imagines  
puniti.*

**C**olonia in ecclesia sancti Georgij martyriscrux metallina est, effigiem habens Saluatoris, per quam multa miracula facta sunt ac sanitates: unde multa luminaria matronae ciuitatis coram illa accendere consueuerunt: maxima tamen causa illarum virtutum fuisse creditur, portio Dominici ligni, quae inchofa habebatur, quae nunc extracta, gemmis & auro circumdata est. Campanarius verò eiusdem ecclesiae, cum nullam ei reuerentiam exhiberet, sed vadens cubitum, frequenter luminaria inde subtrahens in usus suos conuerteret, nocte quadam cum se in lectulum suum inclinasset, & adhuc vigilaret, crux eadem ad eum venit, & eum voce increpationis tam validè tuteudit, vt infirmatus, multis diebus sanguinem vomeret. Huius miraculi ego bene recordor, & erat co-

leber

Ieberrimum in tota ciuitate, ita vt ab illo tempore in maiori veneratione habita fit eadem crux.

## CAPVT XXVI.

**I**N\* comicia de monte, ante non multos annos, *\* al. comicia*  
inter duas cognationes militum tam graues inimi- *tatiu,*  
citiæ ortæ sunt, vt se inuicem caperent & occide-  
rent: die quadam cùm plures vnus partis conuenif-  
sent in ecclesia villæ, quæ Westupe dicitur, aduersæ  
parti per vetulam proditi sunt: dederat enim signum  
dicens: Quotiens intrauerint, totiens nolam trahã.  
Quod cùm fecisset, ecclesiam cum multitudine in-  
gressi, armati super inermes irruerunt: quo viso, illi  
arreptis sacris imaginibus, gladiis opposuerunt, spe-  
rantes sibi illarum beneficio patci debere. Percussores  
verò nullum loco exhibentes honorem, nullam sa-  
cris imaginibus reuerentiam, ita hostium cruo-  
rem stiebant, vt imagines oppositas mutilarent, ip-  
sique crucifixo brachia præscinderent, & circiter o-  
cto milites trucidarent in Ecclesia. Quod sacrilegiũ  
durè satis vindicatum est, nam infra breue tempus, ab  
occisorum consanguineis, occidentiũ numerosa mul-  
tudo sic gladio deleta est, vt vix duo superessent: ve-  
tula verò, quæ illos prodiderat, tẽpore messis nimio ca-  
lore aëris suffocata est. Et quid dicã de malis Christia-  
nis, cùm apud Damiatam Saraceni, Christum ignorã-  
tes, ob injuriam imaginis eius grauiter sint puniti.

## CAPVT XXVII.

**C**Um in obsidione Damiatæ maxima pars exer-  
citus Domini Saracenis occurrisset, nescio  
quo Dei iudicio, infideles fidelibus superiores  
effecti, eos in fugam verterunt, multos ex eis occidẽ-  
tes, & plurimos captiuos abducentes. Quod vt cogno-  
uerunt in ciuitate obsessi, in tãtam lætitiã resoluti  
sunt, vt in confusionem fidei nostræ, laqueum collo  
crucifixi injicerent, sicque sacram illam imaginem, a-  
liis additis injuriis, per omnes plateas ciuitatis traher-  
ent, cum multa vociferatione & plausu manuum, vi-  
ctoriam Deo suo adscribentes. Christus verò, qui  
mortuus & quasi nullius valoris videbatur, in tã exe-

H h 2 grabi